

*Quamuis mille modis tropi varientur in odis,
 Ocho modis tantum fit continuatio uocum,
 Vt series horum depromit uersiculorum.
 Quando C B sociatur in cantu hymna uocatur &c.*

Et finit tertio folio:

Tot uicibus uariis cantus discernitur omnis.

V. folio 63. manu Sec. XIII. *ἀνεπιγχαφως* sequitur *Guidonis*, seu *Widonis Aretini* O. S. B. Monachi, qui Sec. XI. floruit, *Micro-*

Gymnasio musas placuit reuocare solutas &c.

et Epistola ad Episcopum suum *Theodaldum*, *Teudaldum*, nobis *Thealdum*: *Diuini timoris totiusque prudentie fulgore clarissimo* &c. prout extat in *Collezione Gerbertiana* T. II. p. 2. Et Exemplar quidem nostrum variis locis imperfectius deprehendi, et praecipue carens C. ultimo: *Quomodo Musica ex Malleorum sonitu sit inventa*, cuius loco ita finit *Noter*: *Curiosus itaque existas. et in usum exercitando uertas. Si symphoniam habeas. satis tibi be regule diamphoni dabunt. De origine autem musice artis quia rudem lectorem uidimus, in primis tacuimus. quod exercitato iam. magisque scienti in finem tribuimus. Sed fallit promissor, proque hoc Capite Schemata VIII. Tonorum supra nominatorum adpingit.*

Praetextae sunt utrinque Codici, ut pluribus aliis *Montis Pomerii*, Membranae ab elegante manu Constitutiones quasdam ca-

pitulares *Cisterciensium* compendiae.

CCLXXII.

Codex membranaceus lat. Sec. R. 3487 XIV. Folior. 198. f. maj. per duas columnas multis uocum compendiis exaratus, rubro distinctus, et prius *Monasterii B. V. in Garsten* O. S. B. ad *Styram* super. *Austriae* continet sequentia: I. *Extractiones Librorum Dionysii dicti Areopagite*, sive *Commentarios* in eosdem *Thomae Abb. S. Andreae Vercellensis* O. Can. Reg. Sec. XIII. de quo adi *Pezii Dissert. Isag.* ad T. II. *Tbes. Anecd.* P. 1. Extant hae *Extractiones* in *Editt. Opp. Dionysii Argent.* 1502. *Colon.* 1556. f. et aliis. Ineunt: *Cum in libris magni dyonisijs ariopagite geminam experirer difficultatem &c.* Sed post *Extractionem de ecclesiastica Hierarchia* in Codice sequuntur *Collectanea per dominum vercellensem. qualiter vita*

prelatorum conformari debet vite angelice, quae incipiunt: *Reuertamur ad angelicam similitudinem ut sicut illi* &c. et in Editis a me non sunt reperta. Post *Extractionem de mystica Theologia* praemissa *Job. Saraceni ad Odonem S. Dionysii* Abbatem *Epistola* Verfioni ejus *Divinorum Nominum* in Edit. *Argent. fol. 179.* praefixa *Incipit explanatio* horum Nominum *secundum dompnum abbatem vercellensem.* Ejus initium est: *Domine deus noster quam admirabile est* &c. Prolixa haec *Explanatio* singulas *Textus regionas* sequens iterum in Editionibus deest. Non minus etiam, quae sequitur, *Ejus Explanatio super mysticam Theologiam* praemisso denuo ex Edit. *Argent. fol. 262.* *Saraceni Prologo ad Odonem*, quorum hic uterque nominatur. *Explanationis* initium: *Trinitas super substantialis &c. Duplici modo ad cognitionem dei perueniemus* &c. Illam excipiunt vulgatae *Dionysii Epistolae* excepta illa ad *Apollophanem*, quam subplent spuriae illae *Ignatii Antioch.* una ad *Matrem Domini* cum responso, et duae ad *Johannem Apost.* Exin nova et inedita *Thomae Vercellensis in Angelicam Hierarchiam* orditur *Explanatio*, cujus *Prooemium* infit: *Job 39. c. Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter* &c. et iterum *Saraceni* interpretis *Prologum ad Job. Sarisberiensis*, ut Edit. *cit. Colon. p. 758.* post se habet. Idem die de *Explanatione Hierarchiae ecclesiasticae*, quae sequitur, *Prooemio* ita auspicante: *Job*

38. Nunquid nosti ordinem celi &c. et adjecto *Saraceni Praefamine*, quod est Edit. *Colon. p. 776.* Jam hic perorantem *Thomam* audiamus: *Ecce miserante deo et illuminante sicut ante annos quinque proposuimus et in probemio extractionis nostrae premisimus, 4. libros Magni Dyonisij Ariopagite scilicet Angelicam ierarchiam, Diuina nomina, Mysticam theologyam et Ecclesiasticam ierarchiam dupliciter declarauimus. Primo quidem extractione compendiosa, que propter littere difficultatem sensum ipsum littere stilo communi breuiter exprimit, postea uero glossis, que librorum sententiam diligenter pertractant. Quas qui legerit et se per eas aliquo studij labore excusari perpendit, oret pro anima excusantis. Quicumque autem dicta in eis minus prudenter correxerit, aut dictos libros clarius illustrauerit, a deo precibus beati Dyonisij beatam mercedem recipiat. Ego siquidem non solum in his cacuminibus sed etiam in scripturarum planitie semper magis optaui discere quam docere. Actum yporcie in exilio meo Anno gratie. M°. CC°. XLIIII. 3°. kld. Marcij. Plura hic docemur: *Possevinum, Oudinum, Pezium, Ughellium, Fabricium* nihil suspicatos esse de duplici *Labore Thomae in Dionysium, folam Extractionem* novisse; in Codice nostro haberi *Explanationem*, siue, ut ipse vocat, *Glossas* omnibus ignotas; *Pezium* et *Ughellium* male interpretatos annum mortis ejus e versu Epitaphii: *Bis ter viginti currebant mille ducenti per**

1226. cum enim *Thomas* anno etiam dum 1244. scripserit, necesse est, ut viginti et ter bis sumamus, annoque demum 1246. mortuum dicamus. Ubi vero terrarum *Yporcia* locus exilii? Diu perquirenti succurrit tandem *Ambr. de Morales* in *Coronica General de España* edit. *Complut.* 1575. T. II. in *Antiquit.* p. 99. 4. qui notat ad *Constantinam* urbem in *Turdulis* in *Andalusiae* et *Extremaduræ* confinio sitam: *Llamosé el municipio Iporcense, como parece por una piedra, que allí se halla.* In hoc vero lapide legitur: *Corneliae. Clementis. F. Tuscae. Sacerdotissae. Perpetuae. Ordo. Iporcensium &c.* Quo tamen merito, aut qua calamitate *Thomas* noster *Vercellis* exactus sit *Iporciam*, nemo tradit.

II. fol. 153. habetur continuo ἀνεπιγξαφως Commentarius mysticus et totus *Dionysianus* in *Cantica Canticorum*. Ille videlicet, dices, *Thomae Vercellensis*, quem *Pezius* T. II. *Thef. Anecd.* P. I. col. 503. e Codice *Afceterii* sui *Mellic.* edidit. Eadem, fateor, mihi mens erat, primum intuenti. Verum aliud docuit *Collatio*. Nul- lum *Prooemium Pezio*; at nobis ultra 5. columnas productum hoc initio: *In hoc gloriatur qui gloriatur, scire et nosse me. Jer. 9. g. Duplex designatur hic dei cognitio, vna intellectualis que operatur per considerationem &c.* Commentarius *Pezii* sic orditur: *Deiformis animæ gemitus amativi &c.* Noster vero sic: *Osculetur me osculo oris sui. Cor. II. dum sumus*

in corpore, peregrinamur a domino. Osculo oris sui id est unione ad uerbum patris &c. Ita et per decursum omnia diversa. Quid igitur tenebimus? Commentarium nostrum non esse *Vercellensis*? Darem libenter; sed audi. *Fol. Codicis* 117. p. 2. *Indicem Rerum* alphabeticum in Commentarium nostrum praeoccupavit *Librarius*, eique miniatam hanc subiecit clausulam: *Explicit tabula super Cantica Vercellensis. Finita et scripta Anno gratie M°. CCC°. 44°. anno.* Num ergo *Thomam*, ut in *Dionysium*, ita et in *Cantica* bis scrip- sisse credemus, an majorem fidem *Codici* nostro membraneo, bene servato, et, ut vero simile, vetustiori habebimus, quam *Peziano* chartaceo, et, quod nec ipse dif- fitetur in *Dissert. Isag.* p. 18. ad- modum depravato? Rem expedi- ret aliquatenus inspectio *Exemplarium Vercellensis in Cantica*, quo- rum plura in *Angliae* Bibliothecis servantur, ut magnus *Edw. Bernardi* docet *Catalogus*. Inter haec cum *Collegii S. Benedicti Cantabrig.* Codex 1316. habeat *Prooemium*, fortasse causam nobis e- victam daret.

III. fol. 169. *Incipit opus magistri hugonis in yerarchias sancti dyonisijs episcopi de differentia munda- ne theologie atque diuine et de- monstrationibus earum.* Initium: *Judei signa querunt et greci sapi- entiam. Fuit enim quedam sapien- tia &c. Hugo Victorinus* est, et hic ejus *Tractatus* T. I. *Opp. Ro- tomag.* 1648. p. 469 f. legitur. *Exemplum* nostrum ad multa σφαλ-

meta Editionis tollenda foret utile. Ita in calce pro *vertatur praesumptio* pone *vereatur*. Adjacet clausula: *Explicit expositio magistri Hugonis et prepositi* (quem fuisse negant) *sancti Victoris super primum librum Yerarchiarum. Finitus Anno gratie M°. CCC°. 43°. feria 2. Ante nativitatem domini.*

CCLXXIII.

- R. 84 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 238. 4. maj. probe scriptus, sed multis locis resectus, notis marginalibus adspersus, et quondam *Conventus O. E. S. Aug. dicti S. Johannis de Carbonaria Neapoli*, ad quem devenerat ab *Ant. Seripando* fratre *Hieronymi* Card. ex eodem Ordine Viri celebris herede Bibliothecae *Auli Jani Parrasii* (Joh. Pauli Parisii) *Consentini*, complectitur Q. Sept. Flo-

Editio

- V. 4. *facti mortem maris*
7. *justique fines*
13. *angusta mente*
16. *et debita cedere poenae*
24. *Urbs ora est — Joppen*
25. *Rate scandit*
26. *fert acta Deus*
30. *globus pariter*
34. *Nequicquam medius*
39. *concussa est spina carinae,*
Palpitat antenna stridens &c.

Sed satis pro instituto meo, qui non nisi indicem ago. Unum tamen silentio praeterire nequeo,

rentis Tertulliani Carthag. a. Chr. 220. aut circiter vivis exempti Scripta, quae indicabimus. Initium facit *De Jona propheta carmen heroicum*, ad cujus calcem legas: *Finis versuum (105) Tertulliani de Jona*, quos ego *Janus parrasius* ex antiquissimo codice longobardis exarato literis exscripti: quam maxime licuit ex fide. Itaque hi, et quod mox sequetur, tardius *Codici* praefixa sunt; obiit enim *Parrasius* Philologus egregius, de quo consulendi *J. Nicius Erythr. Toppius* cum *Nicodemo, Baelius &c.* a. 1533. Objacet jam mihi *Carmen* istud *de Jona* in *Edit. Opp. Tertulliani Rigaltiana Venet. 1744. p. 576. f. prolatum* ex unico *P. Pithoei* Codice c. notis *Fr. Jureti*. Quantum vero e *Parrasiano* nostro perfici possit, specimine ostendam:

Codex

- tacti mortem maris.*
justique viam.
angusta mente.
et dicta cedere poena.
Urbs oras — Joppe.
Rate poscit.
Per signa Dei.
globum pariens.
Nec quicquam medium est.
Concussae spina carinae
Palpitat. Antennae stridens &c.

non vidisse *Juretum* medelam ultimis a fine versibus adponendam; ita enim *Edita*:

Inter